

*fad nostra Elementa, quibus adsuevimus, tanquam non plures alia  
ormarum elementaribus nobiliorum species supersint, Ricciolus  
Almag. novo Tom. 1. l. 4. c. 2. n. 2. Qui tamen autor non planè  
dissentire videtur à prioribus, dum in formâ saltè aliquam  
Lunæ, cum Terrâ diversitatem agnoscit, in materiâ verò ma-  
ximam analogiam inter utramque admittit, adeò, ut, si Sol  
igneus concederetur, ipsam potiùs Lunam terraqueam, ab effecti-  
bus, quos experimur, censendam esse dicat l. c. verbis subsequen-  
tibus.*

Sanè certum hoc ævo ex observationibus telescopia  
habitis esse videtur, lunare corpus, si non planè eandem cum  
terraqueo nostro globo naturam habet, magnâ tamen simi-  
litudinè ad illam quàm proximè accedere, dum partibus a-  
liis eminentioribus aliis depressioribus, pellucidioribus aliis,  
aliis opacis, (perinde ut Terra nostra montibus & vallibus,  
continentibus & maribus) prædita splendorem non aliâ ra-  
tione, quàm paries quidam à Sole illustratus, nempe per nu-  
dam reflexionem, oculis in obscuro positus exhibet, omni  
propriâ luce destituta.

Quod cum ita sit, commodus nobis hic locus erit, in  
quo pedem figamus, ad terram nostram eminè spectan-  
dam, partim ob vicinitatem suam, partim ob analogiam,  
quam obtinet cum nostrâ Tellure.

Sed & aërem prætereà circa Lunam, non secus ac atmo-  
sphæram globo terraqueo circumfusam nonnulli, partim ex  
annulo lucido, Solaribus eclipsibus totalibus circumposito;  
partim ex anticipatione primæ & posticipatione ultimæ di-  
chotomiæ lunaris, deducunt, ut Longomont. l. 1. Theoric. cap. 9.  
pag. 192. Keplerus Epit. Astronom. Copern. p. 893. & alibi passim;  
Vendelinus in ideâ Tabularum Atlanticarum. Quibus consentit  
Jordanus Brunus libr. de Immenso qui de omnibus sideribus i-  
dem affirmat. Sed de aëre hoc valdè adhuc dubitat Riccio-  
lus